DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE TINEA,

QUAM, ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOSEPHI DE RYCKERE

JURIS UTRIUSQUE DOCT. ET IN FACULT. JURID. PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ OBTINENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

FRANCISCUS VERRAERT,


EX SASSA-GANDENSI,

DIE III JULII MDCCCXXIV, HORA DECIMA.



GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.
1824.

Ex decreto facultatis 2 Martii 1818, opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ sunt, et à facultate medicâ nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.



AMPLISSIMIS VIRIS

N. J. DE COCK FRATRIBUS,


IN HAC URBE GANDAVENSE NEGOCIATORIBUS,

UT GRATITUDINIS MONUMENTUM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS
DICAT VOVETQUE AUCTOR.



DE TINEA.



§ I.

Tinea sic vocatur, quia partes quas afficit rodere videtur, insecti ejusdem nominis instar, quod pannos et vestes peredit. Hoc genus exanthematis vel eruptionis chronicæ unus est ex antiquissimis morbis qui observati fuerint. Medici et quidem empirici omnium ætatum remedia invenire conati sunt quæ sordidum hunc et adversùs curationem pertinacem morbum stirpitùs evellere possent; licèt verò ad hoc usque tempus verum contra hujus morbi impetus remedium lateat, tamen nemo dubitare potest quin observationes et indagationes posterioris ætatis medicorum multùm valuerint ad tenebras dilucidandas quibus antiqui hunc morbum obductum reliquerunt. Historiæ hujus morbi non immorabor, nec diversa tineæ genera ab antiquis quibusdam auctoribus admissa, disputando enarrabo; tantùm cum Pinel (1) quinque tineæ genera admittam, scilicet : *Favosam*, *granulosam*, *furfuraceam*, *amianta-*

(1) Pinel. Nosographie, dernière édition.

ceam et mucosam quorùm ordinatìm et breviter exponere conabor causas, symptomata, diagnosim, prognosim et methodum curativam, secundùm auctores qui de hoc morbo scripserunt.

§ II.

De causis Tineæ.

Quænam tineæ sint causæ nemo certâ ratione usque ad nostram ætatem, exposuit; ut verò aliquid certi de hâc re dici possit, multæ adhuc observationes colligendæ sunt, quamvis Richerand (1), in causis hujus morbi investigandis, diù versatus fuerit. Certum duntaxat atque exploratum est omnes ætates, sexum utrumque, omnia temperamenta, cutaneæ huic affectioni, obnoxia esse.

Sic universè tinea mucosa in pueris primæ ætatis observata est; favosa verò et furfuracea, aliquandò sæviunt ante secundum ætatis annum, sæpè post septimum; quin etiam pueros quindecim annos natos aggreditur. Tinea granulosa easdem vitæ periodos invadit, sed amiantacea adultos tantummodò, impuris contaminat sordibus.

Uter sexus crebriùs hoc morbo afficiatur, observatione nondùm patet; viri tamen generatìm sæpiùs tineâ lacessi videntur, sive granulosâ, sive amiantaceâ; cætera verò genera, ut videtur, non potiùs viros quàm fæminas aggrediuntur.

---

(1) Richerand. Noso. et Therap. tome 1, p. 532.

Quod verò ad temperamentum attinet, sanguinei generaliter magis tineæ præsertìm favosæ obnoxii sunt; granulosa afficit potiùs illos quorum cutis lenticulis obducta est; furfuracea lymphaticos; mucosa aggreditur illos quorum capilli sunt colore rufo aureato, et amiantacea attingit plerumquè melancholicos.

Contenderunt quidam tineam esse hæreditariam illamve à parentibus ad liberos transferri, neque negari potest quin hæc proprietas quibusdam observationibus sit confirmata (1); sed etiam facta citantur quæ testantur contrarium, et adhuc sub judice lis est.

Quidam auctores tineam contagiosam esse contendunt, alii ab aliis planè dissentiunt; non committam ut hanc quæstionem dijudicem, sed non dubitari potest quin crebrò reperiantur homines in eodem loco habitantes et eamdem auram haurientes ac tineosi, qui non ideò eodem morbo afficiuntur. Ex alterâ verò parte minimè dubia exstant argumenta quibus patet usum pectinis, scopulæ, pilei vel cubilis individui tineâ laborantis, hunc morbum ejusdem familiæ liberis, transmittere. Credo tamen contagionem tali modo existere non posse nisi cutis capillata quasdam rimulas præbeat. Richerand satis experimentis probat, absque contactu immediato tineæ contagionem haud fieri posse.

Multi insalubribus alimentis, paludosis locis, sicut et sordibus,

---

(1) Professor Kluyskens, in præl. suis clinicis.

hujus morbi originem tribuerunt : nemo sanè dubitare potest quin omnes istæ causæ multùm adferant ad hunc morbum evolvendum et extirpatu difficiliorem efficiendum præsertìm :

Quùm mala per longas invaluêre moras.
(Ovidius).

Affirmare non dubito quin illa præcipua tineæ sit causa, propterea quod in Zelandiâ et imprimis in Cassandriâ (1) et in pago Axelensi ubi rustici lardo tantùm et hordeaceo pane sicut et aliis difficilis concoctionis cibis vescuntur, ex centum, inquam, viginti quinque tineâ afficiuntur. Sed ne quis putet me inani conjecturâ ductum talia auguratum fuisse, compertum enim illud factum satis habeo quoniam habitavi in vicinitate locorum ubi morbus iste tam communis est.

Tinea sæpè complicata est cum scrophulis, herpete et aliis chronicis cutis affectionibus, quod quidem huic suspicioni locum dedit, illam ex variis istis morbis suam originem ducere : sed inoculationis ratio quæ sola talia facta comprobare potest, hujus opinionis fautoribus nullomodò favit.

De Tineæ Symptomatibus.

1.° Eruptio *Tineæ favosæ* vulgò prænuntiatur rubro puncto quod in pustulam sese convertit ; aliquoties statìm formatur subflava crusta

---

(1) Flandria hollandica.

vel lamina quæ sensìm paulatìmque dilatatur prout inflammationis status augescit, in rotunditatem globatur depressione ad centrum factâ, dùm margines sese elevant. Glandulæ cervicales, occipitales, inguinales et axillares tumescunt; crescit prurigo, et crustæ multiplicantur prout tinea latiùs sese explicat et numerus pediculorum augetur; tandem crustæ multiplicantur et sese confundunt ita ut laminas forment quæ corium obducunt; effluit ex illis humor cujus odor urinæ felium vel murium similis est; si illis cataplasmata vel alia crassa corpora applicantur, facilè auferuntur, sed paulò post sub eâdem formâ rursùs apparent.

Corium non solùm est capitis regio ubi hæc tineæ species invenitur; frontem, tempora et alias corporis partes pariter afficit. Crustularum mutuâ admotione cutis apparet fissata et ad cranium usque innumeris rimulis dehiscens; at chorio integer manere videtur. Si verò crustulæ à se invicem sunt remotæ, cutis intermedia sæpè squamis furfuraceis obtegitur.

Observatione patet tineam favosam, sibi derelictam, sponte suâ sanari, sed seriùs vel ociùs, aliquot mensium vel annorum spatio, sæpissimè ante pubertatem (1), ferè semper ante vigesimum annum; tùm glandularum tumefactio evanescit; sed quùm morbus intensus fuerit, excidunt indè capilli.

---

(1) Professor van Coetsem, in præl. suis morborum infantum.

2.° *Tinea granulosa* in vertice capitis primùm apparet, deindè versùs occiput et superiorem aurium partem, raró in cæteris corporis partibus. Ejus progressus saltem in principio rapidiores sunt. Vix illa pars quam occupat erubescere incipit quùm ex illâ stillat liquidus humor concretio statìm format granulationes vel tubercula rugosa, inæqualia, in vertice gibbosa absque ullâ depressione; color cinereus fuscus, et odor butyro rancido vel putrescenti lacti similis. Pediculi in interstitiis et ad superficiem abundant, quod efficit ut prurigo vix sufferri possit; intermediæ partes squamis furfuraceis obteguntur.

Cataplasmatibus unctuosis crustæ decidunt, tùmque minùs profunda quàm in tineâ favosâ, puncta exulcerata observantur, è quibus stillat novus humor viscosus, inodorus, albescens vel cinereus, cujus dessiccatione formantur tubercula tam inæqualia et scabrosa quàm priora.

Si tinea granulosa sibi ipsi permittitur sponte suâ sed tardissimè convalescit. Crustæ minùs sensibiles, minùsque scabrosæ fiunt; squamæ in illarum locum restituuntur; et corium ad statum naturalem redit, glandularum tumefactio quæ huic eruptioni antecesserat, illamve comitata fuerat, evanescit seu pauló tantùm post manet.

3.° *Tinea furfuracea* prænuntiatur primùm irritatione et prurigine, quibus succedit levis excoriatio vel desquamatio epidermidis. Glandulæ subcutaneæ inflantur; stillat materies serosa, icho-

rosa, albescens, quæ capillos glutinat, et siccatione format squamas majori vel minori numero constantes, alias aliis applicatas sub formâ stratorum quæ plus minùsve densa, et parùm elastica sunt, et odore butyro ranco simili. Insecta ibi non tam numerosa sunt quàm in tineâ favosâ, crustulis ablatis, textum reticulatum nudum manet et colorem roseum induit. Sibi ipsi commissa hæc species non tamdiù quamdiù præcedentes durat; non ultra septimum annum grassari videtur, tempus quo evanescit prurigo, et exiguum tantùm vestigium post se relinquit.

4.° *Tinea amiantacea* rarissimè observata fuit; regionem superiorem et anteriorem capitis occupat; rubore et inflammatione cutis incipit, nullâ vel exiguâ comitante prurigine, sed stillatione albidâ, lucidâ, cinereâ, quæ capillos in modum turundarum vel fascium setosorum et lumine vibrantium glutinat, sicuti fila amianti vel asbesti, undè nomen suum induit. Capilli quùm defluxerint, in cute manent vestigia sanguinis striis distincta. Modus quo hoc genus terminatur, nondùm satis patet, propträ quod pauca illius exstant exempla.

5.° *Tinea mucosa* quamdam similitudinem habet cum furfuraceâ. Primùm apparet unum vel plura puncta rubra undè materia flavida stillat, in principiis limpida, quæ deindè crassior evadit, et se convertit in strata laminata plus minùsve viscosa et quæ facillimè ex capillis quos glutinant, evelluntur. Laminæ decidunt omninò vel squamatìm; pediculorum numerus minor est quàm in præceden-

tibus generibus, quod causa est cur prurigo minor sit. Quùm crustæ deciderint, cutis epidermide videtur nudata, obducta ulceribus supervacaneis et semper humidis. Hoc genus tineæ non nisi esse videtur quàm accessio crustæ lacteæ, cum quâ magnam habet analogiam, et raròultra septimum annum grassatur.

§ III.

Diagnosis Tineæ.

Non facilè est veram sedem tineæ assignare. *Duncan* istam locaverat in bulbo capillorum, quoniam morbus in summo gradu ascensus, hoc capitis ornamentum in perpetuum destruebat. Murray, contrà, probare credidit, tineam peculiariter sedem suam habere in texto reticulato cutis, et observationes valdè perspicuæ, demonstrârunt tineâ laborantes post sanationem sæpissimè pulcherrimos capillos recuperavisse. Neutram tamen harum opinionum admitto, quoniam mihi occasio fuit videndi in Zelandiâ ægrotos quorum corium, et quidem ossa cranii, affecta erant. Porrò rarissimùm est ut glandulæ lymphaticæ, partium vicinarum et quidem remotarum, non participent affectioni cutaneæ capitis, præsertìm in tineâ favosâ.

Quidquid sit, secretionis modus, qui fit in corio, in tineâ necessariè mutetur; undè originem suam ducit stillatio vel exhalatio plus minùsve abundans, quæ crustas vel laminas format. Quod ad uriginem

vel pruriginem spectat quæ huic morbo comitem sese adjungit, oritur ex irritatione papillorum nervosorum qui reticulatum textum transcurrunt. Celebris Franck confundit tineam cum illo morbo quem practici designârunt sub nomine *crustæ lacteæ infantum*; et extra dubium positum est quin inter posteriorem hanc et tineam mucosam analogia quædam intercedat, quoniam Pinel (1) illam sub hoc nomine descripserat; sed ætas quâ eruptio illa apparet, sedes quam ab initio ad finem occupat, marginum color, crustularum forma, et cætera symptomata, discrimina sunt quæ luce clariùs apparent.

Faciliùs esset fortassè tineam cum scrophulis confundere; nam utrumque morbum comitatur glandularum cervicalium et occipitalium intumescentia; sed symptoma illud veritatis specie in errorem inducere non potest, propterea quod curationi cedit quæ contra tineam administratur; longè aliter verò res sese habet in affectionibus scrophulosis. Adde quod posterior hic morbus afficiat solos lymphatici temperamenti pueros, quùm in locis demissis, humidis et frigidis degunt; hic morbus etiam fortassè hæreditarius est, dùm tinea potissimùm pueros plethoricos et sanguineos afficere videtur; et si supponeremus priorem illum morbum contagiosum esse, tùm immediato contactu ad individuum quemdam transmitteretur, ut dixi suprà § II, quam proprietatem scrophulæ non habent. Rejici etiam non potest discrimen inter tineam furfuraceam et herpetem

(1) Pinel, Cadre nosographique.

miliariam, licèt initia utriusque hujus morbi eumdem colorem oculis præbeant et idem desquamationis modus in utroque observetur; nam progressus et periodi nullam habent similitudinem.

Tineam cum lepris confundere impossibile est, quia prior in Europâ sæpissimè occurrit, posterior ibi contrà rarissimè invenitur; tinea, si capillorum defluvium quod aliquandò parit, excipias, nullum habet symptoma quod quamdam habeat cum lepris similitudinem; hinc reperiuntur in facie tubercula plus minùsve densa et difformia, in cute fissuræ plus minùsve profundæ, quæ diversas corporis regiones obtegunt; illinc verò invenire est tantùm crustæ vel laminæ plus minùsve inæquales in corio.

Confundere deniquè voluerunt quidam tineam cum falsò credito illo morbo qui designatus fuit sub nomine *plica polonica*, quæ nihil est nisi immoderatus habitûs squalor in quo Poloni vivere solent (1). Illinc corium sedes est affectionis; hinc verò, capilli ipsi ægrotare videntur.

De Tineæ Prognosi.

Quidam posterioris ævi medici crediderunt tineam maximam afferre utilitatem, quia ulcera quæ ex illo morbo oriebantur illis

---

(1) Dictionnaire des sciences médicales.

apta via videbatur ad corruptos corporis humores depellendos; sed illam opinionem falsissimam esse exploratum mox habebimus, si animum attendimus ad mala quæ ex illâ eruptione oriuntur, quorum malorum perfectam cognitionem acquirere non possumus, nisi autopsiâ cadaverum, illorum quos in absolutum consumptionis statum redactos, crudeli labe necavit.

Quoniam nunquàm mihi contigit ut dissecarem cadavera individuorum qui tineæ succubuerint, exponam tantummodò phænomena à medicis qui anatomicè de hoc morbo inquisiverunt, allata. Invenerunt glandulas mesenterii tumefactas, pulmonem et hepar tuberculis et kystis conspersa, vel in carnem redacta; cerebrum flaccidam consistentiam præbebat; ossa ipsa cranii corrosa videbantur infra illa loca quæ tinea longo jam à tempore occupaverat; ad basim cerebri serositatis etiam effusiones observabantur.

Cæteroquin tinea uti quivis alius morbus cutaneus repercussioni obnoxius est, et tunc plura minorave detrimenta interiùs afferre potest, secundùm viscera in quibus sedem ponit. Citantur exempla hydropis, phthisis, tumorum plus minùsve dolorosorum in articulationibus, etc., quæ post ablata symptomata hujus sordidi morbi, apparuerunt (1).

Si tinea levis est morbus et parvi momenti, illud in principio

---

(1) Alibert, maladies de la peau. Discours préliminaire, pag. xv.

tantummodò locum habere potest; sed eo magis formidanda quo antiquior est et magis inveterata, deniquè complicationis status cum strumis, morbo venereo, vel debili individui statu, ejus morbi periculum augere debet.

§ IV.

De Tineæ curâ.

Diversitas opinionum de sede et naturâ tineæ effecit ut innumera remedia ad illam extirpandam vicissìm admissa et rejecta fuerint. Alii morbum illum quasi affectionem propriam et localem corii æstimabant, ideòque remedia depilatoria ad labem stirpitùs evellendam idonea esse putabant. Alii contrà tineam in texto reticulato corii collocabant, atque hanc ob causàm remedia tentârunt quæ mutare possent vitalitatem, ideòque modum secretionis in parte cui applicabantur illa remedia; illi deniquè, qui veram sedem tineæ assignare non poterant, remedia localia vel generalia adhibenda esse censebant, apta ad curandum morbos cutaneos quibuscum maximam analogiam habere existimabatur.

Externa remedia quæ contra tineam adhibita fuerunt, innumera sunt : præcipua ad hæc quinque redigi possunt : scilicet ad emplastra picea, cicutam, manganesam, carbonem solum et carbonem cum sulfure.

Crudelis illa cura nomine *calotte* designata, proposita certè ab illis qui tineæ sedem in bulbo capillorum locabant, in eo posita est, ut tela illinetur compositione ex farinâ secalis, aceto et pice constans. Postquàm ante omnia crustæ cataplasmatibus emollitæ et ablatæ fuerunt, emplastrum prædictum applicatur, ibique tamdiù manet impositum donec in corium aruerit. Tribus tunc elapsis diebus, violenter revellitur rursùsque renovatur applicatio. Tali modo sævissima illa cura per aliquot menses repetitur, et quæque curatio multorum capillorum evulsionem secum comportat, et miser ægrotans crudelissimos inter cruciatus versatur.

James Barlow (1) post multas inquisitiones, remedium invenit, quod ut auctor ille affirmat, efficax contra tineam est, et ex quo nulli dolores, nulla incommoda oriuntur. Ita celeberrimus ille medicus :

« L'indocilité de la part des enfans, lorsqu'il s'agit de les traiter » à la manière ordinaire, est souvent un obstacle insurmontable à » la guérison de cette maladie rebelle, et la célérité avec laquelle » les cheveux croissent chez les enfans contribue également aux » difficultés du traitement. Ces fâcheuses circonstances me portè» rent enfin à adopter le remède suivant, qui, lorsqu'on en lave » la tête plusieurs fois le matin et soir, en la laissant se sécher » sans y toucher, produit cet effet que les croûtes se détachent,

(1) Annales de litt. méd. étrangères, rédigées par le professeur Kluyskens, tom. 7, p. 371.

» tombent, et laissent les parties au-dessous parfaitement saines ;
» et cela sans tourmenter le malade, soit en lui coupant les che-
» veux ou en lui rasant la tête. J'ai trouvé que cette lotion réus-
» sissait invariablement (étant bien appliquée), et chez les enfans
» et chez les adultes, et dans les cas invétérés où tous les autres
» moyens avaient été mis en usage sans succès, et même dans des
» cas où la maladie durait depuis plusieurs années ».

Voici quel est le remède de M. Barlow :

R. kali. sulphur. recen. prepar. ʒ iij
Sapon. alb. Hispan. ʒ is
Aq. calc. ℥ vijs.
Spirit. vinos. rect. ʒ ij
M. f. lotio pro tineâ capitis.

Cura tineæ maximâ tantùm cautione adhibitâ suscipienda est, quia ut suprà dixi repercussioni obnoxia est. Itaque prudentia requirit ut utrique brachio aperiantur exutoria, et aperta teneantur vel diù postquàm tineæ symptomata evanuerunt.

In nosocomio civili Gandavensi unguentum adhibetur quod diù servatum fuit, tanquàm arcanum contra tineam remedium, quod verò studio et operâ unius ex nostrâ facultate professoris, hodiè universè in usu est. Tale est remedium :

R. Cerat. Saturn. ℥ iij
Ung. alb. camphor. ℥ is.
Flor. sulfu. ℥ is
Calomel. ʒ is
Axung. q. s. f. Ung[t].

Si verò tineæ quædam simplicioribus applicationibus cedunt, quædam etiam contra omnes conatus reluctantur; loquor præsertìm de illis quæ vitio scrophuloso aut vitio syphilitico hæreditario, complicatæ sunt.

Optimæ curativæ methodi illæ sunt quæ lenissima remedia adhibent. Omnia ad illud redigi possunt, ut corii irritatio sedetur, et hoc organum ad naturalem statum reducatur. Tinearum igitur cura quo simplicior est, eò absolutior et perfectior evadit.

TANTUM.

THESES.

I.

Venæsectio in hydrope convenire potest.

II.

Paracenthesis in hydrope saccato non ut remedium curativum institui debet.

III.

Dum indicatio est manifesta dandi emeticum vel instituendi venæsectionem, ob diem criticum instantem non sunt negligenda.

IV.

Ob pulsum mollem, parvum venæsectiones non sunt negligendæ.

V.

Catameniis, lochiisque fluentibus venæsectio fieri potest.

VI.

Duas species gonorrheæ alteram veneream, alteram simpliciter inflammatoriam admittimus.

VII.

Inflammationes intermittentes existere defendimus.

VIII.

Acidum muriaticum tanquàm remedium specificum contra ulcera scorbutica oris haberi potest.

IX.

Aliquandò difficile est inflammationem erysipelatosam stomachi ab inflammatione phlegmonoicâ ejusdem organi discernere.

X.

In venere excessus uti et nimia continentia nocent.

XI.

In affectione cancerosâ, amputationem tanquàm remedium non admittimus.

XII.

In ischiate, remedium per excellentiam est applicatio cucurbitarum scarificatarum.

Imprimatur,

J.-L. KESTELOOT.

Facultatis medicæ h. t. Decanus.